

coram eodem comparendi terminum assignando competenter, prout ipsius regni Sclauonie libertas et consuetudo id requirit. Datum Zolij in vigilia festi omnium sanctorum anno domini M^oCCC^olxx^m septimo.

(*Sigillum Regis annulare.*)

Originalis charta in mea collectione.

CVI.

Anno 1382. Zagrabiae.

Ludovicus I. Rex libertates et Privilegia civitatis Cattari confirmat.

Ludovicus dei gratia Rex Ungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Fidelibus suis Iudicibus, Consilio et Communi civitatis nostrae Catharensis salutem et gratiam. Missis ad nostrae Celsitudinis conspectum Damiano et Marco, nuntiis et ambasciatoribus vestris, ex parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum per eosdem, quod quia ipsa civitas nostra Catharensis, tum propter inopinabilis ignis incendia, tum etiam propter maximam guerram Venetorum tunc nostrorum aemulorum de novo sopitam, et ad pacis pulchritudinem deductam, derobationes et desolationes non modicas perpessa extitisset, imo multi et quamplures ex ipsa civitate nostra ad extraneas provincias et tenutas dispersi extitissent, supplicantes nostrae maiestati vice et nominibus vestris, ut vestrae Communitati ac eidem civitati vestrae Catharensi in signum nostri Regii adminiculi libertatum praerogativas et gratiarum privilegia, quibus hactenus cives eiusdem civitatis nostrae Catharensis gavisia fuissent, ratificari et confirmari dignaremur, ut, iis a nostra Maiestate gracie concessis, sicut numero sic nominibus possetis fidelitate multiplicari et augeri, profectus et honoris materia a vestra Communitate nostrae proveniret maiestati. Nos itaque considerante quod cum nostris fidelibus subditis in eorum narrationibus gratiarum praerogativas concesserimus, et dum eorum onera removebimus, in ipsorum quiete quiescimus, et fovemus in pace, praemissis supplicationibus, ex parte vestri nostrae porrectis Majestati, gratiose exauditis, admissis, praemissarum libertatum, praerogativarum et gratiarum privilegia, quibus hactenus gavisii extitistis, confirmantes ratificamus, quousque sibi Deo propitio dictam civitatem nostram Catharenssem personaliter visitabimus, vel domina Regina consors nostra carissima ad illas partes feliciter accedendo visitabit, et tum nos, aut eadem domina Regina, super qualitatibus libertatumstrarum in melius sciscitari, et experti de vestro commodiori et tutiori statu, ac libertatum